



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Cap. II. De observatione Festorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

CAPUT II.

De observatione Festorum.

NOTA Præceptum tertium Decalogi de Sanctificatione Sabbati est partim morale, partim Cæremoniale, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 122. a. 1. ad 1. Morale, quatenus homo jure naturali tenetur aliquod vitæ tempus impendere cultui divino, ac rebus divinis. Cæremoniale, quantum ad designationem temporis; & secundum hanc rationem mutatum est ab Apostolis, à quibus Sabbato substituta est dies Dominica, quæ est Prima Hebdomada in memoriam Resurrectionis Christi. Item aliquot Festorum observatio ab Ecclesia præcipitur in memoriam beneficiorum Dei, & in honorem Sanctorum, in quorum sanctitate, & victoria, ac mercede Dei bonitas, potentia, ac liberalitas laudatur, & ad quorum imitationem fideles excitantur. Quibus quidem diebus Fests Ecclesia præcipit eundem cultum, qui diebus Dominicis præcipitur; in hoc enim consistit Festivitas diei, & constat ex sensu, & præxi Ecclesiæ.

Præceptum autem de Sanctificatione Festorum per se omnes sub mortali obligare constat tum ex sensu fidelium, tum quia ejus materia est gravis, & ad cultum
Dei

Dei pertinet. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, sepositò scandalò, si absit contemptus.*

Q. I. *Quanam opera sunt vetita diebus Festis?*

Resp. I. Prohibentur omnia opera servilia, exceptis iis, quæ jure aut consuetudine legitima sunt permessa, ut coquere cibos, aut alia id genus ob necessitatem, cap. 3. de Feriis. Opera autem servilia dicuntur opera corporalia, quæ ad necessitatem, vel commodum corporis, aut aliquid corporale, à servis, aut mercenariis exerceri solent, videlicet omnia opera artium mechanicorum, & ruralia, ut fabricare, suere, arare, &c. Quibus opponuntur opera liberalia, quæ ad animum excolendum spectant, ideòque digna homine libero, ut legere, scribere, docere, &c. *Nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbati, puta si quis doceat verbò, vel scriptò.* ait S. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.

Porro quando opus est verè servile, non refert, utrum fiat ex recreatione, an ex lucro; quia intentio operantis non mutat naturam operis. Deinde operari spe lucri commune est omnibus. *Opera autem, in quantum sunt communia & servis & liberis,*

beris, servilia non dicuntur. ait. S. Thom. *ibid.*

Not. Venatio & piscatio sunt opeta servilia: nam sunt actiones corporales, per se, & primario ordinatae ad utilitatem corporis, & ad aliquod opus corporeum, scilicet ad captionem, & occisionem ferarum, & piscium. Idem dicitur de opere pingendi, cum sit opus corporale immediate ordinatum ad artefactum sensibile assimilandum rei verae, soleatque à mercenariis, seu iis, qui lucrum ex arte quaerunt, fieri. Et in Conc. Meldensi an. 845. expresse prohibentur pictura, & venatio. De piscatione constat ex *cap. 3. de Feriis*, ubi specialiter sub certo onere conceditur facultas haeccia piscandi ob necessitatem. Scribere verò, & pulsare Instrumenta Musica non sunt servilia; nam scriptio ordinatur ad animum instruendum; cum sit quaedam locutio permanens, ex se ordinata ad conceptus mentis declarandos, seu ad instruendam mentem propriam, vel alienam: pulsatio autem Instrumenti Musici ordinatur ad delectationem animi. Idem multi dicunt de transcriptione, tum quia per se ordinatur ad mentem instruendam, & exprimendos animi conceptus, tum quia transcribere nil aliud est, quam scribere, quod alius vel ipse transcriptor permanenter locutus est. Aliud est de impressione, namque ad eam immediate, ac per se con-

currunt, ad instruendam mentem non deserviunt, sed ad efficiendum quoddam artefactum corporale, seu sensibile.

Quamvis autem itineratio, si præcisè consideretur, ut est processus ab uno loco ad alium, sive pedibus, sive equo, aut rhedâ, non sit opus servile, cum hoc sit naturale, & commune omnibus: tamen servile est ducere Jumentum, currum, aut navigium mercibus onustum, item imponere onera, ea tollere, & alia hujusmodi. Quare non licet vectoribus iter die Festo inchoare, quamvis continuatio itineris ante Festum suscepti iis permittatur, vel ob publicam necessitatem, vel ob damnum, quod paterentur ex mora.

Resp. II. Cap. 1. & ult. de Feriis & Pii V. constit. Cum Primum. Vetita sunt insuper 1. Opera judicialia, seu forensia, quæ cum aliquo strepitu fiunt, hoc est, actiones, quæ ad decisionem causarum spectant, ut Reum citare, testes examinare, formare processum, exigere juramentum judiciale, exhibere instrumenta, proferre, aut exequi sententiam, &c. Hæc enim strepitum judicalem continent. 2. Mercatus, nundinæ, & celebratio contractuum, ita ut non liceat die Festo negotiari etiam privatim, inire contractus permutationis, emptionis, locationis, &c. quia intelliguntur nomine mercatus; nisi ex consuetudine approbata, aut ex justa ac necessaria causa

causa excusentur. Ratio prohibitionis horum operum est, quia animum multum distrahunt, & avocant à rebus divinis, ad quas Festa destinantur, atque ut animus his expeditus possit Dei obsequio, & piis operibus vacare.

Violatio autem hujus prohibitionis est ex genere suo mortalis, cum pertineat ad Religionem, & ordinetur ad finem gravissimum, qui est Dei cultus. Hinc est mortale duas horas, sive continenter, sive interruptè laborare, nam est tempus notabile. Imò non pauci docent, laborem unius horæ esse mortalem, præsertim si opus sit valde servile, & defatigans. Ita *Azor, Reginald, Bonac, Grandin, &c.* Opus tamen servile potest esse veniale ex brevitate temporis. In mercatu verò, & præsertim in placito materiæ quantitas non solum ex quantitate temporis, sed etiam ex qualitate operis desumitur. Sic brevis agitatio litis in re magni momenti, & prolatio sententiæ est gravis culpa.

Resp III. Choreæ, saltationes, & theatri ludi diebus præsertim Festis damnantur à SS. Patribus, & prohibentur à multis Conciliis; tum quia retrahunt à divino cultu, & piis operibus, quibus dies Festi specialiter destinati sunt: tum quia sunt ordinariè multis præsertim juvenibus & puellis occasio peccandi; nam in Choreis ex mutuo aspectu, colloquio, manuum con-

tractu, Instrumentis Musicis, & mutuo sibi invicem placendi desiderio valde commovetur concupiscentia ad libidinem, excitantur turpes cogitationes, & cupiditates, veneræque delectationes, & excitatæ facillè admittuntur. Item à multis Episcopis, & Principibus meritò vetitum est, ne Caupones, vel alii tempore divini Officii, & concionis, loci incolas ad potandum, vel ludendum recipiant. Hòcque per se malum est, cùm sit cooperari violationi Festorum, ac scandalo, & præbere facultatem peccandi.

Q. 2. Quanam cause excusant ab obligatione omittendi opus servile, vel forense, aut contractum?

Resp. Sequentes. 1. Necessitas propria, vel aliena, spiritualis, vel corporalis, quæ præverti non potuit, ut cùm sine gravi damno opus aliquod omitti, aut differri nequit. Ex Mat. 12 & *cap. ult. de Feriis*. Sic excusantur 1. Pauperes clam die Festo sine scandalo laborantes, auditò Officiò, quando aliter se, & familiam sustentare nequeunt. 2. Famuli & ancillæ jussu Dominorum laborantes, si omittere non possint sine gravi damno, nec ad id cogantur in contemptum Legis, vel Religionis. Si tamen id frequenter contingat, eos deserere debent, ut monet Suarez. 3. Instauratores

tōres pontium, fontium, viarum publicarum, & similium, si sine gravi jactura boni communis differri opus nequeat. 4. Ruri laborantes ad vitandum imminens damnum, ut si ob pluviam imminens, fœnum vel segetes colligantur, vehantur, &c. Sed in his casibus perenda est licentia ab Episcopo, vel Parocho, juxta consuetudinem, quando potest adiri, nequis facillè hac in re decipiatur, & fingat necessitatem ubi non est; præsertim si labor fiat publicè, ut scandalum vitetur. Quamvis autem multi excusent sartores, qui vestes, quas aliis diebus perficere non potuerunt, perficiunt diebus Fests, quando urget earum usus ob celebritatem exequiarum, aut Nuptiarum; certè peccant, si in eam necessitatem suâ culpâ se conjecerint, ut non rarò accidit.

2. Pietas in Deum, per quam licent opera ad Dei cultum proximè pertinentia, ut altare instruere, templa ornare, &c. Ita Catech. Rom. ideo Christus Matth. 12. dicit, Sacerdotes in templo Sabbatum violare; & sine crimine esse. Non licet tamen verrere templa die Festo, nec parietes eorum ornare peristromatis, quando pridie commodè fieri potest. Aliàs dicunt esse veniale. Neque licent ea, quæ ad Dei cultum remotè spectant, ut conficere ornamenta etiam gratis, construere templum, &c.

3. Charitas erga proximum. Sic licet

Ll 3

para-

parare medicamenta infirmis tunc egentibus, non tamen pauperibus danda per annum, saltem si hoc fieri possit alio tempore. Nam ex Matth. 12. licet die Sabbati benefacere proximo indigenti. Cùm enim charitas sit finis præceptorum, nulla debent ejus exercitium impedire. Præterea tenemur diligere proximum sicut nos ipsos: si ergo ob propriam necessitatem licet, etiam licebit ob necessitatem proximi.

4. Consuetudo ab Episcopis permessa. Sic venatio, & piscatio moderata ex recreationis causa extra Officia divina, nec non emptiones, ac venditiones rerum parvi momenti, præsertim ad victum quotidianum necessariorum clausâ officinâ, dicuntur in variis locis permissæ. Item excusant Barbitonforem, qui sciente nec vetante Episcopo artem suam exercet erga rusticos, & opifices, qui aliis diebus eum adire nequeunt, aut nollent: alioquin se, ac suam familiam sustentare non posset.

5. Dispensatio legitima Papæ, vel Episcopi; vel etiam Parochi ex consuetudine ob gravem, & justam causam, quando non datur facilis accessus ad Episcopum.

Q. 3 An per quodvis mortale peccatum graviter violatur hoc præceptum, ita ut circumstantia Festi addat novam speciem malitiae Mortalis contra Religionem, in Confessione exprimendam?

Resp. Multi negant, quia 1. Peccatum non

non est opus servile propriè, sed solùm metaphoricè; nam non est opus proprium servorum, sed commune omnibus etiam Nobilibus: verba autem præcepti sunt propriè accipienda. 2. Hoc repugnat praxi, & persuasioni fidelium ac Confessoriorum; nam nec pœnitentes hanc circumstantiam confiteri solent, nec de ea interrogari. Fatentur quidem peccatum esse magis contra finem præcepti, nempe cultum Dei in genere, quàm sit opus servile; sicque explicant textus Patrum objici solitos. At negant esse contra substantiam præcepti prohibentis opera servilia, & cultum illum specialem, qui tunc præcipitur per abstinentiam ab opere servili. Jam verò, inquirunt, finis præcepti, non semper est præceptus. Item fatentur quòd circumstantia illa dici sacræ per se addat malitiam venialem.

Alii affirmant & probant. 1. ex S. August. serm. 22. *Ille verò observat Sabbatum, qui non peccat. Ita enim præcipitur: omne opus servile non facietis. Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Ex S. Greg. Nyssen. homil. 7. in Eccles. *Quærendum est ergo, quid sibi velit præceptum otii Sabbati? ... ut nihil agamus illorum, quorum opus est vitium.* Ex S. Thom. qui 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. dicit expressè: peccata contrariari observantiæ Sabbati, & magis agere contra hoc præceptum, qui

peccat mortaliter, quam qui laborat. Et ex S. Antonin, p. 1. tit. 14. c. 4. §. 4. ibi: *Talis circumstantia, scilicet in die Festo, trahit peccatum in aliam speciem. Nam fornicans in Festo facit contra duo præcepta, scilicet, non mæchaberis, & illud de sanctificatione Sabbati.* 2. Ex cap. 1. de feriis. *Omnes dies Dominicos cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere & ex can. 1. dist. 5. ex lib. de vera & falsa poenit. consideret qualitatem criminis in loco, in tempore; oportet enim pœnitere fornicantem, Si in loco sacro... Si tempore orationi constituto, aut festivitate Sanctorum... Omnis ista varietas consistenda est, & deslenda.* 3. Quia omne opus servile prohibetur. Peccatum autem est opus maximè servile, juxta illud Jo. 8. *qui facit peccatum, servus est peccati.* 4. dies Festi sunt tempus ab Ecclesia determinatum ad implendum præceptum divinum naturale præscribens, ut homo sæpe Deum colat, & rebus divinis vacet, & ad hoc se liberum, ac expeditum præstet, vitando scilicet ea, quæ eum impediunt à divino servitio, quale est omne opus servile, & præsertim peccatum, quod magis servitium Dei impedit, quam opus manuale. Quòd si pœnitentes hanc circumstantiam non confiteantur, dicunt, hoc provenire ex defectu instructionis.

Alii verò, quibus assentior, distinguunt,
&

& docent peccata, quæ includunt oppositionem specialem, vel afferunt impedimentum sanctificationi Fæstorum, ut cum reddunt hominem incapacem applicationis ad divina, ut ebrietas, quæ longo tempore privat potestate proxima vacandi rebus divinis, item seditio, &c. prohiberi hoc præcepto, & contrahere malitiam mortalem contra religionem: secus de aliis. Patres autem supra citati videntur posse intelligi de fine præcepti, vel de sensu ejus mytico.

Q. 4. *Quanam opera diebus Fæstis exercenda sunt?*

Resp. I. Generatim opera Religionis, Pietatis, & Charitatis, ut sunt interesse officii divinis, Missæ, & Vesperis, orare, piè meditari, libros spirituales legere, audire conciones, sacramenta suscipere, visitare infirmos, & carcere detentos, &c.

Prob. 1. Ex Deut. 5. *Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum.* Hoc verbo, (inquit Catech. Rom.) *Ostenditur Sabbati diem religiosum esse, divinisque actionibus, & sanctis rerum Officiis consecratum.* Itaque diem Sabbati tum plenè, & perfectè celebramus, cum pietatis, & religionis Officia Deo prestamus. Dies autem Dominica substituta est ab Apostolis Sabbato cum obligatione eam sanctificandi, ac co-

Ll s lendi

lendi Deum, & Ecclesia alios Festos dies cum eadem obligatione instituit. 2. ex Nicol. 1. ad consulta Bulgar. c. 10. Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum &c. 11. Idcirco in diebus Festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis & Hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus, & ex Constit. 5. Pii V. Antiquorum Canonum statuta renovantes, mandamus, ut omnes in diebus praefatis (Festivis) Ecclesias frequentent, divinis Officiis devotè intendant, ab omni illicito, & servili opere abstineant, mercatus non fiant, profana negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant. 3. Ex multis Conciliis praecipientibus, ut fideles doceantur diebus Festis qui Dei cultui dicati sunt, vacandum esse divinis Officiis, concioni, & piis operibus, & ex Catech. Romano, qui ait: *Parochus diligenter doceat, quibus in operibus, & actionibus Christiani diebus Festis exercere se debeant.* Tum varia opera Religionis, & Charitatis supra dicta recenset. 4. Quia solidus dies sanctificandus est: ergò non solum matutinis, sed etiam pomeridianis horis Deo vacandum est. *Debet ergo die Festo insi-*
sti

si operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinatorum, lectionis, & eleemosynis, & hujusmodi. ait S. Antonin. p. 2. tit. 9. c. 7. §. 4. addens, quod abstinere quidem ab opere servili, & Missam audire sit in præcepto obligante sub mortali, non tamen vacare Deo pro majore parte diei, quamvis non sic vacare peccatum sit, scilicet veniale. Quare Rituale Tullense docet fideles non posse sine legitima excusatione ab esse à Vesperis. Enimverò pomeridianum tempus sanctificari debet per illarum auditionem; ideò enim ubique solemniter diebus Festis canuntur, & ad illas populus convocatur.

Resp. II. Speciatim omnes fideles usu rationis præditi tenentur sub mortali audire Missam, ut constat ex sensu, praxi Ecclesiæ, & ex variis Conciliis. Imò omnes Jure divino & naturali, supposita institutione hujus unius Sacrificii, tenentur sæpe in vita interesse Missæ Sacrificio; quia jure naturali tenentur Deo supremum cultum internum & externum sæpe exhibere per Sacrificium ab ipso institutum. Unde Ecclesia solùm determinavit tempus, & addidit aliquas preces ac Cæremonias sacras, ut dignè ac devotè celebretur.

Q. 5. Quenam requiruntur ad implendum præceptum auditionis Missæ?

Resp. Sequentia. 1. Ut audiatur Missa inte-

integra: constat tum ex sensu, & praxi Ecclesie: tum ex c. 62. de Consecr. dist. 1. ibi; *Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordine precipimus: ita ut ante Benedictionem Sacerdotis egredi populus non presumat.*

Qui Canon Conc. Agathensis ab universalis Ecclesie receptus est, & ejus legem, ac consuetudinem continet. Die autem Dominica ceteri dies Festi pari ratione comprehenduntur, cum æquè sint divino cultui addicti. Porro ibi fit mentio Sæcularium, sed ampliatiuè, non exclusivè, & subintelligitur vox *etiam*, & Ecclesie sensus ad omnes extendit, ex c. *Omnes ead.* dist. Hinc juxta omnes mortale est sine justa causa excusante omittere partem Missæ notabilem, ut tertiam: veniale verò, si pars exigua sine causa omittatur: Nam præcipitur auditio Missæ non solum quoad Sacrificium, sed etiam quoad totam liturgiam: scilicet preces, lectiones, actiones, & Cæremonias sacras, quæ in ea fiunt.

Porro juxta multos peccat solum venialiter, qui ab initio Epistolæ usque ad finem Missæ interest, quia putant partem omissam non esse notabilem. At ex communi omissione initii Missæ, & aliorum usque ad Evangelium inclusivè, imò secundum multos etiam exclusivè, est mortalis; quia hæc pars omissa est notabilis respectu Missæ. Imò est mortale abesse solo tempore con-

secrationis; nam est pars maximè notabilis, & principalis, cùm in ea consistat essentia Sacrificii, & Ecclesia præcipiat Missam principaliter quoad Sacrificium. Idem dicunt aliqui de Communione Sacerdotis; quia vel est essentialis pars Sacrificii, vel saltem est de illius integritate, & complemento substantiali, ac proinde est pars notabilis; pars enim notabilis æstimari debet non solum ex diuturnitate, sed etiam ex dignitate operis: nec leve censi debet, abesse ab essentia, vel integritate ac complemento Sacrificii, cui toti interesse tenentur. Hinc qui potest solum interesse Consecrationi, & Reliquæ parti Missæ, ad id tenetur, cùm illa pars sit principalis, & contineat essentiam Sacrificii, nec principale sequatur accessorium *de Lugo*.

Cæterùm tota Missa ejusdem Sacerdotis audienda est, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Quare non satisfacit, qui plures partes simul à diversis audit; nam Ecclesia præcipit, ut audiatur sacrum per modum totius successivi, cùm revera tale sit: & Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Satisfacit præcepto Ecclesia de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit*. Neque etiam satisfacit, qui duas partes à duobus Sacerdotibus successivè audit; quia partes diversarum Missarum non faciunt unam Missam integram, cùm ad se invicem non

non ordinentur, nec communicentur inter se, sed disjunctæ maneant, & sint partes diversarum Missarum non constituentes unam in ratione Sacrificii, vel actionis sacræ. At præcipitur auditio Missæ integræ. *de Lugo, & alii.*

2. Requiritur intentio audiendi sacrum tanquam actionem sacram, qua Deo supremus cultus defertur, & quæ sit saltem implicita, ac virtualis intentio offerendi per Sacerdotem, & cum Sacerdote illud Sacrificium, seu communicandi suâ assistentiâ oblationi Sacrificii, orationibus & aliis actionibus sacræ. Nam per illam intentionem auditio Missæ debet determinari, ex parte audientis ad actum Religionis, & cultum supremum, alioqui auditio non esset religiosa, qualis præcipitur; si enim quis interesset Sacro ex mera curiositate spectandi, non faceret actum Religionis, nec servaret præceptum.

3. Requiritur præsentia corporis humana: ut patet ex verbo *Audiendi*, & ex sensu, ac usu Ecclesiæ; nam ideo necesse est adire locum, in quo Missa celebratur. Sufficit tamen, si quis ex signis quibusdam colligere possit, quid à Sacrificante agatur, spectatâ loci naturâ, sitque per moralem conjunctionem pars ejus multitudinis, quæ dicitur præsens, & est in conspectu altaris. Hinc sufficit sacrum audire ex quo vis templi loco, ex quo possis saltem mediantibus
aliis

aliis percipere, quid geratur, imò ex gradibus vestibuli, si propior accessus sit impeditus, quamvis per accidens sacrificans non videatur, nec audiatur.

4. Requiritur moralis, ac pia præsentia, ita, ut quis sit non solum corpore præsens, sed etiam animò piè intentus in res divinas, seu in ipsum Deum per preces, oblationem Sacrificii, laudem, amorem, &c. Nam præcipitur auditio Missæ religiosa, qua Deus colatur. At Deus non colitur verè sine attentione ad divina, & pia aliqua affectione; nam Deum, *in spiritu, & veritate oportet adorare.* Jo. 4. Quare Trident. sess. 22. non permittit Sacrum fieri in privatis domibus, *nisi prius, qui intersint, decanter composito corporis habitu, declararint, se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse.* Et Clerus Gallican. an. 1700. damnavit hanc propos. *Ecclesia præcepto (audiendi Missam) satisfit per reverentiam exteriorem, animo licet voluntariè in aliena, imò in prava cogitatione defixo.* Hinc qui per notabilem Missæ partem confabulatur, vel dormit, vel res alias fixè considerat, vel voluntariè distrahitur, peccat mortaliter; nisi aliam postea Missam audire statuerit. Satisfaciunt tamen, qui quoquo modo Ministrant Sacro, etsi occupentur quærendis è Sacristiâ necessariis, v. g. Vino, Thure, &c. quia hæc ordinantur ad Missam, &

& fiunt in loco, qui communicat templo, unde non censentur moraliter abesse; Item satisfaciunt, qui occupantur pulsandis Organis, vel sollibus attollendis; quia hæc ordinantur ad solemnitatem Officii, nec tollunt advertentiam ad ea, quæ in arageruntur. Qui verò notabili tempore Missæ confitetur, non satisfacit præcepto: nam caret attentione ad Missam requisita, videlicet attentione ad Deum, divinæ Mysteria: qualis esse nequit in narrandis, & investigandis peccatis, eorumque circumstantiis, & in colloquio cum Confessario. Ita Suarez, de Lugo, Azor. &c.

Not. 1. Communiter docent, non esse jure communi obligationem audiendi, aut faciendi tria Sacra die Natali Christi, neque audiendi Sacrum Feriâ 5. Et Sabbato, aut Officium Feria 6. Majoris hebdomadæ.

Not. 2. Circa Parochiæ frequentationem, hæc habet Trid. sess. 22. *Moneant (Episcopi) populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis, accedant.* & Sess. 24. c. 4. *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochia sua interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei.* Clerus verò Gallican. An. 1700. damnavit hanc propos. *Nullus in foro conscientie Parochia sua interesse tenetur.*

Q. 6. *Quanam excusant ab auditione Sacri?*

Resp. Excusant 1. impotentia, non solum physica, sed etiam moralis, quando scilicet audiri non potest sine gravi damno, scandalo, vel periculo: ut constat ex communi interpretatione, & consuetudine. Hinc excusantur, qui custodiunt castra, urbem, domum, gregem. Item infirmi, quibus graviter obest foras prodire. Qui tamen ex privilegio possunt audire, vel celebrare in Oratorio Domûs suæ, ad id tenentur; nam non habent moralem impotentiam; & præcipiens aliquid, simul præcipit omnia media ad illud necessaria tum ordinaria, tum extraordinaria, saltem non valde difficilia. Ita *de Lugo*. Nec universalim verum est, neminem teneri uti privilegio; teneris enim uti, quoties ejus usus est necessarius ad servandum aliquod præceptum, quod per talem usum fit moraliter possibile.

2. Charitas, ut si infirmus egeat præsentia alterius. Nam, (ut docet S. Bern. in L. de præcept. & disp.) quod propter charitatem introductum est, non obligat cum ejusdem charitatis dispendio.